

Generalibus, nunquam non nisi instructo secundum eorum stylium & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsiõis, ad Sacrorum Canonum præscriptum: sunt verba formalia citati n. 227. Decreti S. Congregationis §. 6. Et quia eod. §. derogatur quoque omnibus privilegiis, & statutis, etiam à S. Sede confirmatis; hinc his non obstantibus juxta tenorem Decreti procedendum erit.

234 Notandum tandem, quod præfatum Decretum de sex Patribus conjugatis ad expellendum in Capitulo Generali tantum eligendis intelligendum sit, si sententia ferenda est in Capitulo Generali, vel in loco, ubi Generalis regulariter morari solet: non item si in alio loco feratur sententia: tunc enim potest Generalis in aliqua Provincia pro libitu sex Patres deputare, ut declaravit S. Congregatio teste Hyacint. Donato lo. cit. q. 17. & habent etiam Peyr. Tom. 2. Privileg. Minor. in Constitut. 10. Urbani VIII. Lezana tom. 1. cap. 23. n. 5. & alii.

235 Imò potest suam potestatem alteri delegare, Pelliz. lo. cit. n. 4. ed quod hæc potestas ei conveniat Jure Ordinario: hæc liquidem aleri delegari potest, c. Cum Episcopus. 7. de Offic. Ordinar. in 6. & amplius diximus Lib. 1. Tit. 29. §. 3. Nec obstat, quod in Decreto dicatur à Generali tantum; quia hæc particula tantum non excludit eandem personam fictione Juris representatam, Pelliz. lo. cit. Tuschus Lit. T. Conclus. 22. n. 11. Cæterum inferitur, Provinciales etiam cum toto Capitulo Provinciali sine recurru ad Generalem non posse legitime professum ejicere, sed debere causam bene instructam ad Generalem dirigere, cujus dein erit, aliquos deputare, per quos ejecutionis sententia feratur, nisi ipsemet in loco, ubi moratur, unà cum deputatis à Capitulo Generali velit sententiam formare.

236 Porro ut Religionum Superiores in causa ejecutionis bene procedant, præ oculis habeant supra citatum Decretum Urbani VIII. & specialiter etiam observent §. 8. ibi: Cæterum S. Congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paterna charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intendant relinquant, ut laudentur animas fratrum suorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsiõis remedium experiantur. Idque ed magis quo subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immeritorum Prælatorum reg mine peribunt, Dominus noster JESUS Christus in supremo Dei Judicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

237 Pariter præ oculis habenda est doctrina à S. Bonaventura tradita in Quæst. super Regulam FF. Minor. q. 14. ubi ad propositum ita loquitur: Si Frater aliter vivit, quam expedit in Ordine, & sæpius correctus, se emendare non voluerit, si excessus fuerit occultus, tolerandus est cum cautela propter scandalum, ne si abiciatur, cum ejus culpa non pateat, injuste videatur projectus, aut ejus peccatum propeletur injustè, quorum utrumque est illicitum. At ubi excessus ejus simul fuerint graves & notorii, ita quod ejus exemplo alii infici possunt, si retineatur in Ordine, & extranei etiam scandalizentur ex eo, quod hujusmodi sustinetur, in tali casu propter aufferendum scandalum, & propter corruptionem Ordinis præcavendam ejusmodi Frater voti, & pacti sui prævaricator ab Ordine ejiciendus est. Ex eo enim Ordo talis vocatur, qui nihil in se patitur inordinatum.

238 Queritur III. An & quando? & quomodo possit Religio expellere nulliter professum? Resp. Possè, non alio tamen modo, & tempore, quam quo contra Religionem reclamare potest ipse nulliter professus, videlicet intra quinquennium, & cum intervenit Ordinarii, juxta dicta superius

num. 194. Hyacint. Donatus Tom. 2. tr. 12. q. 35. Bordon. de Profess. Regul. cap. fin. & variat. Resolut. 23. num. 6. & alii. Ratio est; quia Religio & Religiosus sunt correlativa, juxta Omnes: de correlativis autem idem est iudicium, & dispositum de uno trahitur etiam ad alterum, juxta communem, arg. l. fin. C. de Indicta viduit. toll. & l. fin. ff. de Accept. Confirmatur Conclusio ex Decreto Urbani VIII. pro Conclusionè edito, apud Hyacint. Donatum lo. cit. Affert etiam Pignatelli. Tom. 1. conclus. 89. nu. 17. plures Declarationes Cardinalium, quarum una edita 16. Decembris 1617. sic sonat: Eminentissimi Patres S. Concilii Tridentini Interpretes ex communi omnium sententia consueverunt, Decretum ejusdem S. Concilii cap. 19. Sess. 25. de Regular. vendicare sibi locum, non modo, cum Professus nullitatem suæ Professionis allegat, causamque deducit; verum etiam cum Superior ipsi ex se illum ejicere tanquam invalidè professum.

Colliges discrimen inter ejecutionem legitime professorum ob incorrigibilitatem, & ejecutionem nulliter professorum, siquidem illi quovis tempore, etiam post viginti annos, & absque intervenitu Ordinarii ejici possunt modo supra n. 226. præscripto, isti verò non nisi intra quinquennium, & cum intervenitu Ordinarii: cæterum sicut nulliter professus post quinquennium competit beneficium restitutionis in integrum; ita etiam sine beneficio potestas quovis tempore reclamandi casu quo nulliter professi laborant perpetuo impeditur; ita idem competit Religioni contra nulliter professum. Hyacint. Donatus lo. cit. q. 40. per Jura & rationes nu. præced. allegatas.

Queritur IV. Quid Juris de actu Ejectis: Antea responsionem nota, hic esse sermonem solummodo de Ejectis ob incorrigibilitatem, legitime prius professis; non item de Ejectis illis, qui ob irritam Professionem ejiciuntur. Resp. I. Ejecti, quando non redierint ad Religionem, in habitu Clericali (seculari non Ordinis) accedere debent, atque Ordinarii loci jurisdictioni & obedientiæ subesse; proinde Generalis illi ed expulsiõis sententiam eidem Ordinario notificare tenetur. Ita verba expressa Decreti Urbani VIII. citati num. 227. §. 7. Præterea §. 9. statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsi Litteras Testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

Resp. II. Justè Ejecti manent adhuc Religiosi subditi, & suo modo tenentur ad tria vota substantialia. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 9. n. 25. Miranda Tom. 1. q. 52. a. 5. dicens ita sentire omnes. Pirhing h. t. n. 196. Pelliz. Tom. 1. tr. 8. cap. 8. n. 29. cum communi, arg. c. fin. de Regular. ubi jubetur Superioribus, ut Ejectos iterum requirant sollicitè; quod de novo præscriptum in sæpe citato Decreto Urbani VIII. §. 11. Probatur Conclusio etiam ex variis Declarationibus Pontificum, quas vide apud Hyacint. Donatum lo. cit. Et quidem quoad votum castitatis certum est apud omnes, quod ad illud eodem modo, quo in Religione tenentur. Ad pauperiorem verò in tantum, ut nihil sibi appropriare, nec ut proprium possidere, vel ut tale sibi acquirere valeant, sed nudo usu, & administratione rerum sibi ad viduum, vestitum, & habitationem necessarium contenti esse debeant. Nec omnino liberantur ab obedientia, quia licet magna ex parte cesset ejus executio, tamen in aliquibus, juxta dicenda, adhuc obedire vi voti tenentur Prælati, & universaliter parati esse debent, iterum obedire, si denud recipiantur. Quærendum verò obligati sunt obedire Episcopo, non quidem vi voti, cum obedientiam Episcopo non voverint, sed eo modo, quo alii Clerici fecerunt.

seculares per textum Decreti num. 227. allegati. Plura de hac obligatione vide apud DD. citatos, & alios.

242 Resp. III. Ejecti tenentur ad præcepta, statuta, & Constitutiones Regulares, v. g. ad jejunia, abstinentias à carnibus &c. Item ad horas Canonicas, & universaliter ad cuncta ea, quæ sub peccato obligant, & extra ordinem ab eis levari possunt. Miranda lo. cit. Roderiquez Tom. 1. q. 30. n. 26. Portel. in dub. Regul. v. Ejicere. n. 5. Hyacint. Donatus Tom. 1. tr. 8. q. 52. n. 199. Pelliz. Tom. 2. tr. 8. q. 8. n. 32. & segg. Recentiores communiter. Ratio est: tum quia nemo ex delicto suo debet reportare commodum, arg. c. Cognoscens. de Constit. c. Sedes. c. Plurimum de Rescript. Tum quia juxta ipsos Adversarios, Ejecti sunt & manent adhuc veri Religiosi, tenenturque præter castitatem, & pauperiorem, etiam ad obedientiam; atqui vi hujus tenentur Religiosus non tantum præceptis Superiorum pro tempore datis, sed etiam legibus & statutis, ab iisdem Superioribus in perpetuum sub culpa latis obedire; ergo. Tum quia Religio, dum ejicit Professum, non intendit eum liberare ab obligationibus Regulari, sed tantum providere bono communi Religionis, & evitare scandalum. Accedit, quod juxta ipsosmet Adversarios Religiosus, ad tempus damnatus ad tremeas, teneatur ad omnia in Conclusionè memorata; ergo & Ejectus.

243 Nec dicas disparitatem esse, quod hic in perpetuum, ille verò ad tempus ab Ordine pellatur. Nam contra est, quod etiam Ejecti hodie non in perpetuum, sed tandem tantum accendant ab Ordine, donec se emendent: emendatione enim secuta (ad quam Ejecti quoque obligantur) tenetur Religiosus iterum redire, & Religio eum recipere, juxta dicenda infra n. seq. Accedit, quod licet Religiosus factus Episcopus perpetuo maneat extra Ordinem, tamen juxta communem etiam Adversariorum, tenetur ad posita in Conclusionè.

244 Queritur V. An Religiosus ejectus teneatur se corrigere ad hunc finem, ut iterum ad Religionem redire possit, & debeat? Resp. Affirmativè Sanchez lib. 6. Moral. cap. 9. n. 25. Hyacint. Donatus Tom. 1. tr. 8. q. 25. Layman, Pirhing h. t. nu. 201. & communis aliorum contra Navarrum lib. 3. Constit. 80. h. t. Roderiquez Tom. 1. q. 30. a. 31. arg. c. fin. h. t. ubi statuitur, quod Ejecti ad redeundum cogi debeant, & inobedientes excommunicari, atqui hoc fieri non possit, si ipsi redire non teneantur. Tum quia Ejecti manent adhuc veri Religiosi obligati ad tria vota, & observanda statuta sub culpa obligantia; ergo. Accedit, quod alias ex delicto suo commodum reportarent contra l. Itaque. ff. de Furtis.

245 Queritur V. An Religio Religiosum emendatum, petentemque suspici, teneatur iterum recipere: & non petentem, vel venientem quærere? Resp. Affirmativè, nisi Regula specialiter obstat prohibendo, ne aliquando Ejectus denud recipiatur: vel nisi ex ejus receptione scandalum, vel aliud malum grave Religioni timeatur. Miranda Tom. 1. q. 52. a. 7. Hyacint. Donatus lo. cit. q. 26. Pirhing h. t. nu. 103. Barbosa in c. fin. h. t. n. 8. & communis aliorum, arg. c. fin. h. t. ibi: Statuimus, ut Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statuta Concilii Generalis, seu Patres Abbates, seu Priores, fugitivos & ejectos de Ordine suo recipiant sollicitè annuatim, qui si Monasteriis suis recipi possunt secundum Ordinem Regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione prævidi per Consuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem eorum, salva Ordinis disciplina: quod si hoc Regularis Ordo non patitur, auctoritate nostrâ provideat, ut apud eadem Monasteria Reiffstuel Jus Can. Tom. III.

via in locis competentibus, si absque scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi penitentiam talibus vitæ necessaria ministrantur.

Nec dicas, dictum c. fin. de injustè Ejectis lo. 246 qui. Nam contra est: tum quia indistinctè loquitur; ergo indistinctè intelligendum est, arg. l. De preu. ff. de Publician. Tum quia Decretum Urbani VIII. num. 227. citatum de justè Ejectis loquitur, & tamen §. 11. dictum c. fin. ad propositum allegat, & de novo confirmat: imò de justè Ejectis etiam intelligendum esse expressè declarat, dummodo (addit) tamen in expulsiõis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem Testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris concedendis S. Congregatio serio obligavit. Ratio est; quia cum juxta claram Juris dispositionem tenentur nolentem revocare & recipere, atquò magis tenebitur redeuntem emendatum suscipere. Accedit quod subsistat emendatione ordinariè cesset ejecutionis ratio, finis, & causa. Plura de Ejectis qui cupit, legat apud Mirandam tom. 1. q. 52. per totum, & Roderiquez tom. 1. q. 3. Hyacint. Donatum tom. 1. tr. 3. per totum, Pelliz. tom. 1. tr. 8. cap. 8. Fagnanum in c. fin. h. t. & alios.

Queritur VI. Quinam sint, & vocentur Religiosi Fugitivi, & Anostate? Item quid Juris de iis? Resp. I. Fugitivi proprie loquendo sunt ii, qui sine licentia Superiorum ad tempus à Monasterio recedunt, cum animo iterum revertendi. Sylvester v. Apostatu. q. 4. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 8. n. 2. Hyacint. Donatus tom. 1. tr. 7. q. 1. Roderiquez tom. 1. q. 30. a. 1. Pirhing h. t. n. 186. & communis aliorum, arg. l. Quis sit Fugitivus ff. de Astit. edict. Inter quos regulariter, ac de Jure communi sicut non numerentur sine licentia à Monasterio fugientes ad Superiorem Majorem cit. l. Si quis Fugitivus, & propterea etiam recurrens ad Principem de Jure communi non puniatur, §. Sit tibi quoque. Novell. 17. Tamen hodierno Jure hic quoque Fugitivi annumerantur, arg. Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 4. ibi: Nec liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu Superioris sui accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint; qui verò sine prædicto in scriptis obtento reperi fuerint, ab Ordinario locorum tanquam desertor sui institui puniatur.

Amplia, etiam si ad Sedem Apostolicam pergere se dicat, uti patet tum ex Constitutione Sixti V. Cum de omnibus, que est 71. Constitutio dicti Pontificis, & Ad Romanum spectat, eidem Constitutioni annexa apud Cherub. Tom. 4. Tum quia ex Decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. in Bulario Cherub. Tom. 3. Constit. 9. Clemens VIII. & Tom. 4. Constit. 28. Urbani VIII. ubi in super statuitur, ut nullos Fratres permittant Superiores Romam venire, nisi prius à Generali, & Protettore licentiam in scriptis impetraverint, quam tamen licentiam etiam Provinciales dare possunt, sed non nisi in causa communi totius Provincie; ex novo Decreto apposito ad finem Constitutioni Urbani VIII. Sacra Congregatio, quæ est n. 28.

Et licet hæc Decreta Concilii Tridentini aliqui cum Pirhing h. t. lo. cit. limitent in casu, quo Religiosus injustè vexatur, & iniquè tractatur à suo Superiore; tamen etiam in hoc casu censendus est Fugitivus, nisi in scriptis sollicitè discendendi habeat, vel probare possit, quod licentiam petierit, & tamen non obtinuerit, prout expressè statuit Sixtus V. in citata Constitutione Ad Romanum spectat §. 20. ibi: Quod si dicerent, se ad Apostolicam Sedem confugere ob gravamina à suis Superioribus sibi illata, & ideo ab ipsis Superioribus licentiam

licentiam. Et licentiam obtinere non potuisse, non propterea illo modo recipi valeant, nisi fide d'ignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per Superiores negata constiterit. Quam Constitutionem nec à Tridentino, nec ab alio Pontifice revocatum fuisse, bene advertit Hyacinth. Donatus.

250 Ceterum licet ex textu Tridentini. & Bullis citatis pro Fugitivo haberi debeat licentiam in scriptis exhibeat; tamen hoc limitatur in casu, quo discedens ita cognitus sit, ut ad quos diverterit, ut de ejus persona nullus omnino dubitationi, aut suspitioni locus relinquatur, prout expressè limitat ipse Sixtus V. in citata Bulla Cum de omnibus. Quod idem repetit in Constitutione Ad Romanum spectat, ibi: nisi satis cognitus sit: ut proin indifferetè agant ii Superiores locales, qui à viro omnibus noto, & omni exceptione majori similem licentiam exigunt, multò magis, si eundem ut Fugitivum tractare volunt.

251 Resp. II. Apostatae propriè ac strictè loquendo sunt, qui à Monasterio, vel Religione discedunt animo totaliter deserendi Ordinem, & non amplius redeundi ad illam. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 8. n. 2. Pelliz. Tom. 2. tr. 8. cap. 8. nu. 43. Roderiquez Tom. 1. q. 30. a. 1. Pirhing h. t. nu. 186. Nec refert, an cum, vel sine habitu discedat, ut bene notant DD. citati. & Hyacinth. Donatus Tom. 1. tr. 6. q. 2. Pignatelli Tom. 7. Consult. 68. num. 5. & alii. Nam sicut habitus non facit Monachum, sed Professorem Regularis, c. Porreclum. h. t. ita retentio ejusdem non facit, quòd dicatur in Religione manere, ut aequaliter fiat dissolutio, & colligatio vinculi, l. Nihil tam naturale. ff. de R. I. Accedit Decretum Clementis VIII. de Reservatione casuum, ubi Apostatam vocat, & reservat, sive habitu retento, sive dimisso fiat. Hinc Apostasia ratio formalis in hoc solo consistit, quòd sine animo revertendi fiat discessus à Religione: ut proin ille, qui animo revertendi discedat propriè Apostata non sit, sed Fugitivus. Et dicitur notaater in Conclusione Apostatae propriè, quia improprie & minus strictè loquendo, etiam Fugitivi pro Apostatis habentur, & ut tales tractantur, & puniuntur in statutis nostris Generalibus cap. 2. §. 8. de Apostatis.

252 Queritur VII. Quæ sint obligationes Apostatarum, & Fugitivorum? Resp. Tenentur non tantum ad tria vota substantialia, sed etiam ad omnes alias constitutiones Regulares sub peccato obligantes. Communis ac certa, patetque clarè tum ex dictis à nu. 240. Tum ex eo, quòd penitus nullo titulo & Jure ab aliquo dictarum obligationum sint exempti; nec se ipsos inique discedendo eximere valeant. Accedit, quòd alius ex iniquitate sua commodum reportarent contra l. Inaque. ff. de Furtis. Tenentur insuper sub peccato mortali sine mora redire, ita ut semper, & tam diu versentur in statu peccati mortalis, donec redeant.

253 Queritur VIII. Quæ sint pœnæ Fugitivorum, & Apostatarum? præsertim an sint ipso facto excommunicati? Resp. I. Si habitu dimisso discedunt, sunt ipso facto excommunicati. Hyacinth. Donatus Tom. 1. tr. 6. qu. 20. Abbas in c. 2. Ne Clerici, vel Monachi. in 6. & ibi Ancharanus, Joan. Andreas, cum communi aliorum, arg. c. Ut periculosa. 2. in 6. Ne Clerici, vel Monachi, ibi: Ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis Professor temerè habitum dimittat &c. Si quis autem temerarius violator existerit, Excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

254 Resp. II. Qui habitu retento fugiunt, aut apostatant, de Jure communi antiquo, ipso facto non sunt excommunicati, Glossa in c. 1. v. Apostatae de

Tempor. Ordination. in 6. Pelliz. Tom. 2. tr. 8. cap. 8. n. 49. Abbas in c. fin. n. 2. de Apostat. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 8. nu. 20. Roderiquez, Sylvester, Hostiensis, cum communi: quia nullus textus dictam Excommunicationem insignis allegari potest. Nec enim textus c. Ut periculosa. 2. Ne Clerici, vel Monachi, in 6. quem quidam in contrarium allegant, quidquam probat, utpote illos solos tangens, qui habitu dimisso discedunt, ut legenti patet. Ex quo etiam probatur, quòd etsi cum habitu fugiens ipso facto non sit excommunicatus, tamen Excommunicationem ipso facto tunc incurrat, quando post discessum, habitu animo vagandi, vel apostatandi dimittit. Hyacinth. Donatus tom. 1. tr. 6. quæst. 6. & alii.

Resp. III. Vi Juris specialis, & specialium Privilegiorum fermè cujusvis Religionis professoris Fugitivus, vel Apostata sive habitu retento, vel dimisso, Excommunicationem ipso facto incurrat. Castarub. in Compend. Tit. Fugitivus. Hyacinth. Donatus tom. 1. tr. 7. qu. 25. ubi cum Castarub. plura similia Religionum privilegia, & Jura Bullasque Pontificias adducit, Pelliz. lo. cit. ubi pariter simile pro Societate JESU allegat, & communis.

Resp. IV. Præter alias pœnas de Jure communi etiam sequentes incurrunt Apostatae. I. Quòd suspiciens in Apostasia Ordinem sit suspensus, c. fin. de Apostat. II. Apostatae sunt irregulares, can. fin. dist. 50. & c. Cum illorum, de Sentent. Excomm. III. Quamdiu manent in Apostasia non gaudent privilegio Religionis, cui subijci nolunt, arg. Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 19. ibi: Interim nullo privilegio sui Ordinis juretur. IV. Illi, qui sine legitima licentia Romam pergunt specialiter voce activâ & passivâ viendo privati existunt. Plura de pœnis Apostatarum vide apud Sanchez loc. cit. Hyacinth. Donatus tom. 1. tr. 6. qu. 20. Roderiquez, Mirandam tom. 1. qu. 51. Lezanam, Pellizar. tom. 2. tr. 8. q. 8. sect. 3. & alios.

Queritur IX. An, & qualiter peccent? Quibus? que pœnis subjaceant recipientes, retinentes, aut occultantes Apostatam, vel Fugitivum? Resp. Eos peccare mortaliter, & ipso facto incurrere Excommunicationem. Patet ex pluribus Constitutionibus Pontificiis, quas vide apud Castarub. in Compend. Privileg. v. Apostata ab Ordine. Hyacinth. Donatus loc. cit. q. 22. Mirandam tom. 1. q. 51. a. 2. conclus. 2. ubi inter alia in favorem Ordinis nostri refert Continuationem Innocentii VIII. quâ statuit, & ordinavit, ut detinentes quoscunque Minores fratres è suis Conventibus sine licentia suorum Prælatorum recedentes, sint ipso facto excommunicati.

Queritur X. Quæ sit potestas, & obligatio Religionis erga Apostatas, & Fugitivos? Resp. I. Religioni, ac Superioribus ejus competit potestas apprehendendi, & puniendi Apostatam, vel Fugitivum, ubicunque etiam extra territorium eum deprehenderit, invocato quoque, si opus est, brachio seculari. Roderiquez Tom. 1. quæst. 30. a. 6. Miranda Tom. 1. q. 51. a. 3. Pelliz. lo. cit. n. 52. Hyacinth. Donatus Tom. 1. tr. 6. qu. 17. qui plura pro Conclusionem asserunt privilegia & Constitutiones Pontificias. Pariter habet potestatem eisdem de novo excommunicandi, si redire nolint, textu expresso c. fin. h. t.

Resp. II. Superiores Religionum tenentur Fugitivos, & Apostatas conquirere, & revocare, eosque vel sponte, vel coactè venientes recipere. Omnes, textu expresso c. fin. h. t. ibi: Ne Religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ aerimentum requiratur, statimque, ut Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii Generalis seu

seu Patres Abbates, seu Priores, Fugitivos suos & Episcopos ex Ordine suo requirant sollicitè annuatim. Et quamvis non desint decentes, hoc c. fin. h. t. consuetudine contrariâ fuisse abrogatum. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 9. Pirhing h. t. n. 193. Nihilominus melius sentire videtur Fagnanus in c. fin. h. t. dicens, consuetudinem hanc esse corruptelam, utpote contra Jus Divinum militantem; cum quis pastor Jure Divino teneatur, oves pascere, & errantes pro possibili reducere. Nec tamen necesse est, nec sufficit annuatim id facere, sed toties, quoties opus est, & occasio spequet inventendi salvis Ordinibus Constitutionibus adest in quo puncto ut plurimum attendendum erit ad cujusvis Religionis statuta. Nostra disponunt de eo cap. 2. §. 8.

§. IX. De Transeuntibus ad aliam Religionem.

SUMMARIUM.

- 260 Transire de una Religione ad aliam de facto ob specialia privilegia pauci valent.
- 261 Quamvis de Jure communi id fieri queat.
- 262 Ut tamen talis transitus rite fiat, requiritur I. ut ex bono sine fiat.
- 263 II. Ut fiat ad Religionem strictiorem.
- 264 Sive ex Regula, sive ex statutis talem.
- 265 Ad Religionem S. Francisci ad nullam aliam transire licet.
- 266 III. Requiritur, ne fiat cum gravi infamia, vel detrimto Religionis descendende.
- 267 Commune bonum præferat privato. Ibid.
- 267 IV. Requiritur, ut petatur transeundi licentia.
- 268 Quæ licentia, si indifferetè negatur, potest absque illa fieri transitus.
- 269 Practica instructio circa modum petendi licentiam.
- 270 Licentiam hanc dare quis possit?
- 271 Superior sine licentia Papæ ad nullam aliam transire potest.
- 272 Ulterius requiritur, ut prius constet, quæ Religio strictior transeuntem recipere velit.
- 273 Item, ut transiens, antequam recipiatur, exhibeat Dimissiones.
- 274 Regulariter non expedit ab una Religione ad aliam transire.
- 275 Bene verò in casu extraordinario.
- 276 Cause, ob quas expedit à minus stricta ad strictiorem transire. Et num. seqq.

260 Quamvis de Transeuntibus ad aliam Religionem multa scribant Doctores, præsertim Roderiquez Tom. 3. qq. Regular. qu. 52. per triginta articulos, Miranda tom. 1. q. 31. per viginti quatuor articulos, Pelliz. Tom. 1. tr. 3. cap. 5. sect. 3. Pirhing h. t. per totam Sectionem IV. & alii. Nihilominus, quia hodie ferè omnes Religiones, paucis exceptis, habent privilegia, ut quorum prohibetur eorum Professio, ne absque speciali licentia Papæ ad aliam Religionem transeat, ut bene advertit Hyacinth. Donatus Tom. 1. tr. 6. qu. 22. & plura hujusmodi Privilegia refert cit. Tom. 1. tr. 5. q. 45. notarique in statutis nostris Generalibus cap. 2. §. 1. n. 22. atque propterea receptio aliorum Religiosorum dissuadetur illis verbis: Cavendum est præterea, ne quicumque alius Religionis Professor, ad nostrum Ordinem recipiatur, quamvis habeat facultatem suorum Superiorum, ne forte contra dispositiones Apostolicas fieri contingat, cum jam sit omnes Ordines privilegiis Apostolicis gaudeant, ne eorum alicui ad aliam Re-

ligionem transire licet. Hinc in materia hac in praxi amplius, vel non nisi rarissime occurrere dinos non desinebimus, afferemus tamen ea, quæ pro substantia scitu necessaria videbuntur.

Queritur I. An Religiosi legitime professi possint de una Religione ad aliam transire? & quæ conditiones ad talem transitum requirantur? Resp. I. Loquendo de Jure communi requiruntur est, posse Religiosos professos de una Religione ad aliam transire, si requisitæ de Jure concurrant conditiones. Omnes, ob clara Jura c. Licet. 18. h. t. Concordat c. 7. eod. can. 3. caus. 19. qu. 3. quod etiam intellige de Monialibus, textu expresso can. 1. caus. 20. q. 4.

Resp. II. Ut autem transitus licitè fiat, requiruntur sequentes conditiones. I. Ut non fiat ex inconstantia, levitate, vel temeritate, vel ex ira, passione inordinatâ, sed ex bona sanctæque intentione ac sine, zelo v. g. majoris perfectionis, curâ securitatis salvandi animam, desiderio evitandi pericula transgressionum in sua Religione forsitan plus iusto laxâ &c. arg. cit. c. Licet. h. t. ibi: Ne quis ex temeritate, & levitate Sanchez lib. 6. Moral. cap. 17. n. 2. & amplius nu. 11. & 12. ubi etiam notas ponit, ex quibus conjecturæ licet, Professum non ex bono zelo, sed ex levitate, vel aliâ illegitimâ causâ transire, v. g. si rixæ præcesserint, si transitum minus est, Fagnanus in c. c. Licet. h. t. 30. & seqq. eò que teste Omn. s. Quòd si conjectura similis non adit, præsumitur ex bono zelo transire, Fagnanus lo. cit. Glossa præmit. in c. c. Licet. h. t. arg. c. Dudum de Presumpt. S. rationabiliter dubitatur, ad Superiors judicium erit recurrendum, Sanchez loc. cit. Fagnanus loc. cit. notat tamen Hyacinth. Donatus Tom. 1. tr. 5. q. 3. Professum illum, qui occulto malo sine, aut levitate &c. transit ad aliam Religionem, in ea nihilo minus validè profiteri, eò quòd finis malus, vel illegitimus non sit contra substantiam Professionis, nec ullibi irritetur Professio hujusmodi ex sine indebito facta.

II. Regulariter loquendo necessariè requiritur, ut fiat transitus ad Ordinem strictiorem. Roderiquez Tom. 3. q. 52. a. 4. Sanchez lo. cit. n. 20. Abbas in c. Sanè. 10. h. t. & ibi Ancharanus nu. 6. Pirhing eod. n. 59. Fagnanus lo. cit. Miranda lo. cit. a. 3. Hyacinth. Donatus lo. cit. q. 36. arg. cit. c. Licet & c. Sanè. h. t. juncto can. 1. caus. 20. q. 4. Num autem per Ordinem strictiorem intelligatur ille, qui perfectior, an verò qui durior, asperior, & arduior, ipsaque sensibilitati magis contrarius, ob continuum, aut frequens jejuniu v. g. nuditatem, silentium, vigiliâs, solitudinem, mortificationes corporales &c. licet multum disparent Doctores, ut videre est apud Sanchez loc. cit. probabilior tamen, Jurique conformior videtur, per strictiorem intelligi duriorum, & asperiorum, non verò absolute perfectiorum. Abbas, Roderiquez, Sanchez, Ancharanus, Pirhing lo. cit. & alii contra Mirandam lo. cit. D. Thomam 2. 2. q. 189. a. 6. Sylvestrum, & alios. Probaturque tum ex textu c. Licet. h. t. ibi: Arctioris vitæ præteritum; & ad finem Ut apud eos vitam duceret arduorem, & can. 1. cau. 20. q. 4. ibi: Virgines sacre, si luoro anime sue propter strictiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, concedit Synodus. Tum quia Extravag. Vivam, h. t. conceditur Mendicantibus, & aliis Religiosis ad Carthusianos transire; non quia horum Religio est perfectior aliis (cùm in perfectione superet à mixtis) sed quia quibusdam censetur asperior ob perpetuum jejuniu, solitudinem, silentium &c. Tum quia vix unquam transitus fieri possit sine controversia, quavis Religione contentè, se æquè, vel magis

magis esse perfectam, etsi non dariores. Tum tandem, quia transitus ab una Religione ad aliam videtur concessus ob tutiorem vitæ rationem, quæ ordinariè in majoribus asperitatibus reperitur, arg. can. i. cau. 20. q. 4.

264 In illo tantum conveniunt Doctores, parim referre, an Religio aliqua asperior sit ex ipsa Regula, vel statutis particularibus: dummodò asperitas illa vigeat tempore transitus; enim verò licet ex Regula, vel statutis Religio aliqua aliis sit strictior, ad eam transire non licebit, si Religiosi primum rigorem deserentes, laxam vivendi modum de presenti tenerent, arg. c. Sand. 10. h. t. ibi: *Si locus, ubi nunc permanet, majoris Religionis (strictioris videlicet observantia) quam Ecclesia Aromatenensis existat, & ibi Abbas nu. 4. Joan. Andreas num. 1. Fagnanus lo. cit. Sanchez lo. cit. n. 24.*

265 Sive autem per strictiorem Ordinem intelligatur perfectior, sive rigidior & asperior, nulli ex Ordine nostro Seraphico licebit ad aliam etiam Carthusianorum Religionem transire juxta Constitutionem Julii II. Tum quia, si non aliis perfectior, saltem in perfectione nulli est secunda juxta dicta nu. 64. & seq. Tum quia rigidior & asperior est quavis alia, prout post S. Bonaventuram, & Cordubam docet & probat Miranda Tom. 1. qu. 31. a. 11. patetque ex cap. 2. ipsius Regula à Deo dictate, ubi de Perfectis dicitur: *Nulla modo (consequenter nec per transitum ad aliam Religionem) licebit eis de illa Religione exire.* Ratio additur: quia secundum Evangelium nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò aptus est Regno Dei. Quibus verbis manifestè insinuat, eum, qui istam deserens, aliam ingrederetur, retrò respicere, id est, viâ perfectiori & strictiori desectâ minùs perfectam ac duram amplecti.

266 III. Requiritur, ut non fiat cum gravi jactura temporali, vel infamiâ primæ Religionis Fagnanus in c. Licet. h. t. n. 24. Pirhing h. t. nu. 160. Abbas in c. Licet. eod. nu. 12. & communis aliorum, arg. cit. c. Licet. h. t. ibi: *Ne in jacturam, vel injuriam sui Ordinis.* Ratio est: tum quia nemo debet esse lapsus offensivus, & causa scandali, arg. c. 2. de Prescript. &c. Nisi cum pridem. §. Pro gravi quoque scandalo. de Renunt. Tum quia communis utilitas speciali utilitati præfertur, c. Licet. h. t. Tum quia ad perfectionem Religionem transire est actus charitatis, arg. c. Licet. h. t. ibi: *Lege privatâ, id est, charitate, ut exponit Glossa: non ledere autem primam Religionem est actus justitiæ, l. Justitia. ff. de Justit. & Jur. atqui opera justitiæ præponenda sunt actibus charitatis supererogatoriis, can. Forte. & can. Denique. cau. 14. q. 5.* Hinc inferunt Doctores citati, docentque in cit. c. Licet. h. t. Ancharanus n. 11. Innocentius n. 1. Hostiensis n. 5. & 6. & alii, quòd sicut Ecclesiæ competit restitutio in integrum ob gravem læsionem in temporalibus c. 1. de Restitut. in integr. sic, & multò magis eidem competat restitutio ob læsionem in spiritualibus, famâ v. g. vel personâ prius sibi subditâ, cum gravius censetur damnum spirituale, & personarum, quàm rerum. arg. can. Præcipimus. cau. 12. q. 1.

267 IV. Requiritur, ut transire volens prius à Superiore petat licentiam transeundi ad aliam Religionem; quamvis necessariò non requiratur, ut sit obtenta, Fagnanus lo. cit. n. 36. Sanchez lo. cit. n. 32. Miranda Tom. 1. q. 31. a. 5. Pirhing h. t. n. 161. & Communis, textus expressus habetur in cit. c. Licet. §. Quocirca. h. t. ibi: *Subditus à Prælo cum humilitate & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemneret videtur.* Quòd autem necessarium non sit, eam esse obtentam, textus est in eod. c. Licet. §. Talis: ibi: *Non obstante protervâ*

*indiscreti Prælati contradictione.* Non potest tamen petita licentiâ statim discedere, & transire ad aliam Religionem, sed debet aliquo competenti tempore expectare responsum. Fagnanus lo. cit. n. 47. Abbas in c. Licet. h. t. n. 11. & ibi Ancharanus nu. 5. Sanchez lo. cit. n. 34. Ratio est; quia quincunq; tenetur licentiam, vel consilium petere, tenetur debito tempore expectare responsum. c. Cum in veteri. 52. ad finem de Election.

Quòd si elapso debito tempore Superior licentiam denegat, potest, & debet subditus ante transitum petere denegationis causam, quam dare si recusat Superior, poterit libere discedere: sicut etiam si causam manifestè frivolam vel falsam allegat. Fagnanus lo. cit. Joan. Andreas in cit. c. Licet. h. t. n. 6. & 7. & ibidem Abbas n. 9. Innocentius n. 2. Pirhing h. t. nu. 161. & alii. arg. l. Nulla differentia. ff. de Author. & consensu Tutor. Ratio est; quia tunc iam censetur Superior indiscretè, ac protervè negare licentiam.

Ut autem ritè procedatur, debet Superior Religiosum transire volentem de causa transeundi interrogare, & tenetur Subditus eam manifestare ad hoc, ut cognoscere valeat Superior, an licentiam dare, vel denegare possit, aut debeat. Sanchez lo. cit. nu. 36. Joan. Andreas in cit. c. Licet. h. t. n. 3. & ibi Hostiensis cum aliis. Quòd si causam justam invenit, tenetur subito sine difficultate transeundi licentiam concedere, ne propositum divinitus inspiratum impedire videatur, ut dicitur cit. c. Licet. §. Quocirca. h. t. Si verò probabiliter dubitet, utrum quis velit ad arctiorem Ordinem, aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate transire, Superioris est judicium requirendum, prout patet statutum: cit. c. Licet. §. Si vero. h. t. Intelligitur autem per Superiorem ille, ad quem subditus appellatur, si gravaretur. Fagnanus lo. cit. arg. c. Ut debitus. & c. Cum speciali. de Appellation. non ille, à quo petitur licentia, c. Ne quis in sua causa. in Rubro & Nigro. Porro in casu, quo dubitatur de legitima causa, non sufficit licentia petita, sed necessariò debet esse obtenta, vel ab immediato Superiore, vel ab eo, ad quem appellatur. Fagnanus lo. cit. n. 32. Sanchez lo. cit. n. 15. & 16. Abbas in c. Licet. h. t. n. 3. & alii. Ratio est; quia alias non oporteret judicium Superioris Majoris requirere.

Quinam autem Superior, immediatus nempe seu localis, an verò mediatus Provincialis v. g. vel Generalis dare debeat licentiam, quamvis sit aliqua controversia inter Doctores, communior tamen, & probabilior dicit, posse licentiam hanc dari etiam à Superiore immediato, seu locali, Abbas in c. Non est. n. 6. h. t. Sanchez lo. cit. nu. 59. Pirhing h. t. nu. 162. Fagnanus lo. cit. nu. 36. ubi etiam docet, non requiri ad hoc consilium, multò minùs consensum Conventus, arg. cit. c. Licet. h. t. ubi præcisè requiritur licentia Prælati, quo nomine etiam Superior localis venit. Accedit, quòd juxta omnes, etiam Adversarios in casu dubiæ causæ, vel injustè denegatæ licentiæ possit, & debeat adiri Superior Major; ergo supponitur, quòd prius negotium habuerit Superior Minor, seu localis. Nec obstat can. Statuimus. 3. caus. 19. q. 2. ubi prohibetur transire sine Patris, & totius Congregationis permissione. Nam contra est, quòd in vetustis, & correctis Codicibus particula Et in cit. can. sit omitta, & dicatur à Patre totius Congregationis, ut bene post alios advertit Fagnanus lo. cit. neque contrarium evincit, quòd in fine cit. can. dicatur, communi cautione; quia ut idem Fagnanus advertit, ly communi refertur ad Superiorem dimittentem, & recipientem. Limitant tamen Doctores doctrinam hujus & præcedentis numeri in casu

casu, quo aliud habent O. lnis statuta, vel consuetudo, utpote quibus Lex non derogat, nisi exprimat, ut amplius dictam supra Lib. 1. Tit. 2. de Constitut.

271 V. Requiritur, ut transire volens sit subditus, & non Superior aliquis vel Prælati; quia talis sine expressa licentia Pontificis ad aliam Religionem nullâ ratione transire potest. Fagnanus in cit. c. Licet. h. t. n. 41. Hyacinth. Donatus Tom. 1. v. 5. q. 32. & Communis, textu claro c. Licet. §. Si verò. h. t. ibi: *Illâ semper regulâ inviolabiliter observatâ, ut nullus absque licentia Romani Pontificis præsumat occasione quacunque deserere Præsulatum,* causa additur, quoniam sicut m. jus bonum minori bono præponitur, ita quoque communis utilitas speciali utilitati præfertur. VI. Requiritur, ut Religio, à qua fit transitus, non habeat privilegium, vi cuius prohibetur ad aliam transire. Cujusmodi privilegiorum hodie ferè omnes, pauci exceptis habent, prout jam dictum supra n. 260.

272 VII. Requiritur, ut, antequàm fiat transitus, & licentia ad eum concedatur, Superiori consistet, an aliqua, & que Religio strictior parata sit transire volentem suscipere; prius enim discedens tractatur ut Apostata, & Fagnanus lo. cit. n. 49. Abbas in c. fin. de Renunt. & ibi Joan. Andreas, Innocentius n. 2. cum communis Etque declaratur à S. Congregatione, cum appositione rationis illis verbis: *Ut apostatandi opportunitas Regularibus præcedatur, statuit, ut de cetero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime consistet, eam Religionem paratam esse, illum recipere, qui licentiam petit: tumque Regularis recta se transferat ad arctiorem. Quòd ut re ipsa impetatur, idem Superior omni studio & diligentia invigilet.* Sunt verba Decreti inter Constitutiones Urbani VIII. num. 28. incipit Sacra Congregatio, apud Cherub. Tom. 4. Bullar.

273 VIII. Requiritur, ut antequàm in strictiori recipiatur transitus, prius exhibeat litteras Dimissorias Superioris, prioris Religionis. Fagnanus lo. cit. n. 50. Sanchez lo. cit. n. 39. Pirhing h. t. n. 161. textus est in can. Statuimus. 3. cau. 19. q. 3. ibi: *Discedentem nullum sine communi litterarum cautione recipiat.* Hinc sine Dimissoriis venientem Religiosum debet Superior strictioris Religionis vel remittere ad Superiorem priorem, ut ab eo Dimissorias afferat, vel debet eundem interrogare, an licentiam dederit, vel negaverit, & quare; si causam manifestè justam allegat Superior prior, debet ei illicò remitti Subditus: si verò dubiam, vel justam quidem, negat tamen eam Subditus, debet eum ad Superiorem Majorem dirigere, ut coram eo prius negotium suum proponat, & finiat; nec expedit, ut eidem controversiæ se immisceat Superior strictioris Religionis, ita DD. citati, arg. cit. c. Licet. h. t.

274 Queritur II. An expediat à Religione minùs stricta ad strictiorem transire, & Transeuntis recipere? Resp. I. Regulariter loquendo, nec transire, nec Transeuntis recipere expedit, neque utile, nec laudabile est, nisi gravis urgeat causa. D. Thomas 2. 2. q. 189. a. 8. Miranda Tom. 1. q. 31. a. 1. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 7. n. 1. Roderiquez Tom. 3. q. 52. a. 1. ubi ad propositum longum, sed planè aureum refert Sermonem D. Bernardi de Precept. & Obediens. Pirhing h. t. n. 185. & Communis aliorum. Ratio est: tum quia juxta consilium Apostoli 1. ad Corinth. 7. Quivis in vocatione, quâ vocatus est, permaneat. Tum quia, experientia teste, ita Transeuntis raro in melius proficiunt; cum quis in Instituto, cui affuevit, & quod expertus est, faciliùs proficiat, quàm in peregrino ac in-

solito. Tum quia ordinariè ex tali transitu scandalizantur illi, qui relinquuntur: & aliqua saltem infamia, & vilipensio inurit Religiosis, que deseritur, aliis suspicantibus, disciplinam Regularem in illa minùs vigere &c. Facit hoc consilium Abb. Nestor. apud Cassian. Collat. 14. cap. 5. ibi: *Quicquid est, ut secundum propositum, quod elegit, summo studio ac diligentia ad operis arripit perfectionem pervenire festinet, & nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat.*

Resp. II. Nihilò minùs quando notabilis speratur utilitas spiritalis, vel magna urgeat ratio aut necessitas, bonum commune &c. laudabile & sanctum est, à minùs stricta, ad strictiorem transire Religionem, nec curandæ sunt murmurationes, aut querelæ Religiosorum prioris Religionis. Ita DD. citati cum communi, & certa aliorum, arg. c. Licet. 18. h. t. cum Concordantiis. Et probatur exemplo Ter. mirabilis S. Antonii de Padua, qui à minùs stricta (cæteròquin tamen sancta) Religione S. Augustini Canonicorum Regularium cum subsecuta maxima & ipsius, & totius Ecclesiæ utilitate transit ad strictiorem Religionem nōstram Seraphicam, non obstantibus Fratrum relictorum querelis, & illusionibus. Neque retardare potest, aut debet illa communis obiectio, quòd exinde aliqua infamia, consequenter & injuria Religiosis defendendæ oriator: tum quia nemini facit injuriam, qui utitur Jure suo. Tum quia prudentes ac timentes Deum ex transitu nihil sinistra suspicantur de Religione deserta, scientes ad talem transitum sufficere, quòd Religio deserta non sit ita stricta, etsi alias sancta.

Porro graves causæ & rationes à minùs stricta ad strictiorem transeundi sunt. Primò, Extraordinarius zelus tendendi ad majorem perfectionem, pro qua obtinenda, efficaciora ac pluracernuntur media in strictiori Religione, quàm in propria: item si minor in illa, quàm in ista videntur impedimenta. Omnes, arg. c. Licet. h. t. Secundò, si propria Religio à primo Instituto, & debità perfectione declinat: si nulla vel modica servatur disciplina Regularis; si piè ac juxta Institutum vivere, & ad perfectionem tendere volentes, persecutionem patiuntur, aut irrisionibus, vilipensionibus, aliisque modis absterrentur, aut impediuntur. D. Thomas lo. cit. Sanchez lo. cit. & communis aliorum. Tertio, si quis à cæteris Fratribus odio habetur, malè ac indignè tractatur. Sanchez lo. cit. n. 72. Roderiquez Tom. 3. q. 52. a. 9. & alii, nisi Religiosus ipse ad hoc iniquè præbeatur causam.

In præxi satis erit, si Religiosus transire volens dicat, quòd ex zelo majoris perfectionis acquirendæ transire cogitet ad aliam Religionem evidenter strictiorem: si aliam quoque causam habet, v. g. defectum Religiosis vel Religiosorum, poterit, si vult, eam quoque Superiori Religiosis, quam deserere intendit, non item Religiosis, ad quam transit, manifestare, ne priorem Religionem diffamet.

Agendum hinc etiam foret de edificandis Monasteriis: Item de Clausura Monasteriorum tam Religiosorum, quàm Monialium. Verùm, quia de priori agemus infra Tit. XLVIII. de Ecclesiis & Religiosis; de Clausura verò Tit. de Siatu Monach. ideo hinc superselemus.

Pariter hinc etiam agendum foret de Reformatione Religionum. Verùm quia materia Reformationis ætatica potius, quàm canonica est, eam iis relinquimus, qui integros tractatus de Religione scribunt. Id solum cum unanimi DD. omni, quâ par est, reverentiâ, sanctis Religiosis Superioribus, Majoribus præsertim in Capitalis Generalibus

ralibus & Provincialibus, congregatis diſum volumus, eos graviffimè obligari, ut ubi, & quando Religionem, Provinciam, vel conventum à primævo Inſtituto, & Regulari diſciplina deficere conſpiciunt, eam reſormant, ſeu ad priſtinum decorem, & Regularem diſciplinam omnibus viribus per ſalutares conſtitutiones, & convenientia reducant media. Ad quem finem præcipuè præ oculis haberi debet Balla Clem. VIII. Nullus omnino ordine 9. in Bullat. Cherub. edita pro Reformatione quarumcunque Religionum; quæ Bulla de novo ſuit confirmata ab Urbano VIII. in Conſtit. 28. apud Cherub. ubi legitur. Inſigniter de Reformatione Religionum inter alios agit Pelliz. Tom. 1. tr. I. cap. 5.

## TITULUS XXXII.

## De Conversione Conjugatorum.

## SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Conversio Conjugatorum quid? III.
- 3 Ante consummatum matrimonium potest quisvis Conjugum altero invito Religionem ingredi.
- 4 Si unus ingreditur, potest alter post Professionem illius ad ſecunda vota tranſire.
- 5 Post contractum Matrimonium habet quisvis Conjugum bimestre ad deliberandum, an velit Religionem ingredi; nec tenetur reddere debitum.
- 6 Extenditur hoc bimestre: & quomodo?
- 7 Per copulam intra bimestre vi extortam non impeditur ingreſſus.
- 8 Nec consummatur Matrimonium.
- 9 Quid requiratur ad consummatum Matrimonium. Ibid.
- 10 Item est, si copula gravi metu incusso obtinetur.
- 11 Limitatur.
- 12 Exceptio non prodest, nisi opponatur? Ibid.
- 13 Post consummatum Matrimonium unus sine consensu alterius Religionem ingredi non potest. Et quid? si tamen ingreditur. Ibid.
- 14 Cum consensu alterius velle potest.
- 15 Requiritur tamen, ut & alter Religionem ingrediatur, si juvenis est, vel senex quidem, sed suspectus de incontinentia.
- 16 Si autem senex, & absque suspitione, sufficit, si in seculo manens Professionem emit.
- 17 Conjugum in seculo manens necessarium debet esse senex.
- 18 Quæ senectus requiratur? usque ad n. 19.
- 19 Fæminæ citius senescunt, & generare desunt quam viri.
- 20 Etas, & senectus, ubi non determinatur à Jure, decidit arbitrio Judicis.
- 21 Quas Regulas observare debeat in arbitrando Judex?
- 22 Insuper requiritur, ut remanens in seculo non sit suspectus de incontinentia.
- 23 Et ut perpetuam continentiam voveat.
- 24 Licentia Episcopi ad validum ingressum de Jure communi non requiritur, bene tamen ad licitum.
- 25 Professio Conjugis sine recensitis requisitis facta, quamvis sit illicita, tamen valet, dummodo ad sit consensu alterius Conjugis.
- 26 Si remanens in seculo perpetuam castitatem non voverit, potest, & debet Professus iterum revocari.

- 24 Secus si voverit.
- 25 An, & quando Conjugum juvenis altero proficiente remanens in seculo, & castitatem vovens compellendus sit ad ingrediendam Religionem?
- 26 Si unus Conjugum adulterium commisit, potest se invito alter Religionem ingredi.
- 27 Etiam propriâ auctoritate.
- 28 Si adulterium est publicum.
- 29 Pars innocens post alterius adulterium, si ei cohabitatur, vel etiam adulteratur, eo invito Religionem intrare non potest. Patria delicta mutua compensatione tolluntur. Ibid.
- 30 An, si pars innocens Religionem ingredi nolit, possit, & debeat adultera ingredi? Et num. seq.
- 31 Potest pars adultera ingredi Religionem, si innocens tacite vel expresse consensit.
- 32 Uno adulterante, potest innocens etiam in seculo Ordines recipere. Et n. seq.
- 33 Uno spiritualiter adulterante, alter separatione per Episcopum factâ Religionem ingredi potest.

Experientia constat, etiam Conjugatos futuri de Religionem ingredi attentare: quia verò de horum ingressu speciales sunt difficultates, hinc Compiler Canonum post Lit. de Regular. specialem ponit Titulum de Conversione, seu ingressu Conjugatorum in Religionem. Ad propositum enim per Conversionem Conjugatorum aliud non intelligitur, quam ingressus eorumdem in Religionem.

Queritur I. An, & quando Conjuges ingredi possint Religionem? Resp. I. Post Matrimonium rite contractum, sed nondum consummatum semper licitum cuius Conjugum, etiam altero invito Religionem intrare. Omnes, textu claro, c. 2. h. t. ibi: Post consensum legitimum de presenti, licitum est alteri altero etiam repugnante eligere Monasterium (sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos. Concordat c. 7. eod.

Si tamen unus Religionem ingrediatur, alteri remanenti in seculo licitum est ad secula vota tranſire, seu cum alio matrimonio contrahere, ut expresse statuitur cit. c. 2. h. t. ita tamen, ut expectet, donec anno Novitiatûs finito, sicut Conjugum Professionem emit, et quod Matrimonium ratum non statim nudo ingressu, sed primò per subsequentem Professionem dissolvatur, ut concedunt Omnes, patetque ex Concilio Tridentino Sess. 24. can. 6. ibi: Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis Professionem non dirimi, anathema sit.

Resp. II. Post contractum Matrimonium conceditur cuius Conjugum bimestre ad deliberandum, an in conjugio manere, vel ad Religionem tranſire velit? per textum c. Ex publico. 7. h. t. ibi: Mandamus, quatenus si vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem tranſire voluerit, receptâ ab ea sufficienti cautione &c. vel ad Religionem tranſire, vel ad virum suum redire, intra duorum mensium spatium debeat. Hinc intra bimestre uxor viro, & reciprocè hic illi debitum conjugale reddere non tenetur. Imò potest, si vult, intermedio illo tempore à viro abesse, arg. cit. c. 7. h. t. dummodo sufficientem cautionem præstet, quòd intra duos menses vel Religionem ingredi, vel ad Conjugem redire velit, ut patet legenti textum. Et licet aliàs per sufficientem cautionem intelligitur ea, quæ sit datis fidejussoribus vel pignoribus, l. Si man-

mandato. §. fin. ff. Mandati, tamen in hoc casu sufficit juratoria, si Conjugum aliam præstare nequit. Abbas in cit. c. 7. h. t. num. 11. & ibid. Fagnanus nu. 10. arg. c. Per vestras 7. de Donat. inter virum & uxorem.

Quòd si vir absque cautione uxorem intactam relinquat, & matrimonium non consummet, potest etiam post bimestre, imò post annum adhuc Religionem ingredi. Ratio est, quia tempus bimestre computatur à die præfixa à Jure terminari, & præstite cautionis, uti aperte colligitur ex cit. c. 7. h. t. & docet ibi Glossa v. Intra duorum. Fagnanus ibid. nu. 26. eòque teste, Canonistæ omnes. Inferitur, quòd etiam post bimestre uxor debitum reculare possit, & dicere, ego volo intrare Religionem, & hoc tam diu continuare, donec ei præstatur terminus, vel ipsa uxor cautionem præstet: hæc enim præstata, vel intra duos menses Religionem intrare, vel debitum conjugum reddere debet.

Resp. III. Si intra bimestre à Jure concessum vir ab uxore copulam vi obtinet, potest uxor adhuc ingredi Religionem, saltem in casu, quo vim inferre nitenti excipiendo manifestaverit, se velle ingredi Religionem, aut circa hoc adhuc in deliberatione esse. Glossa in can. fin. v. Invisus dist. 55. Fagnanus in c. 7. h. t. à n. 27. Abbas in c. 2. h. t. n. 9. Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 22. nu. 6. Joan. Andreas in c. Quæ contra jus de R. I. in 6. Pirhing h. t. num. 66. cum communiori & probabiliori aliorum, contra Zoëfium h. t. n. 13. Sylvestrum v. Luxuria. q. 6. & nonnullos alios. Ratio est: tum quia sine culpa nemo debet privari suo jure, c. Discretionem. 6. ad fin. de Eo qui cognovit. Tum quia talis maritus injuriam infert uxori, & iniquè agit, c. Ex publico. 7. h. t. nemo autem ex iniquitate sua debet commodum reportare, c. Ad nostram. de Emption. & vendit. c. Tus de Clericis non resident. cum Concordantibus. Tum quia indultam mulieri à Jure beneficium, dissentienti non est auferendum. c. Indultum. de R. I. in 6.

Nec dicas cum Adversariis, mediante copulâ etiam violentâ virum & uxorem fieri unam carnem, & consummari Matrimonium, consequenter nulli amplius liberum esse, altero invito Religionem intrare, arg. c. Ex publico. 7. h. t. Nam contra est: tum quia non quævis injuriosa, sed solùm legitima consummatio matrimonii impedit ingressum in Religionem, per Jura & rationis nam præced. allegatas. Tum quia per copulam carnalem vi extortam matrimonium penitus non consummatur; quia matrimonium consummatum representat unionem Christi cum Ecclesia, & sortitur Jure Divino indissolubilitatem, can. Deinde. dist. 26. can. Cum societas. cau. 27. q. 2. & c. Debitum. de Bigam. ergo per eam solam copulam consummatur, quæ potest hanc unionem representare; cum omne, quòd est alterius signum, debeat illi esse simile, arg. can. Signum est. & can. Species de Consecrat. dist. 2. sed talis est sola copula voluntaria, cum unio Christi voluntaria fuerit, juxta communem Theologorum. Confirmatur: vis impedit consummationem matrimonii spiritualis, arg. can. de Judæis. dist. 45. & c. Majores. de Baptism. ergo multò magis impedit consummationem matrimonii carnalis, in quo cessare debet omnis coactio, c. Cum locum de Sponsal. Hinc duo requiruntur ad consummationem matrimonii, consensus videlicet animorum, & conjunctio corporum, quæ firmat, & perficit, can. In omni. 36. cau. 27. qu. 2. Accedit, quòd si uxor ab alio viro opprimeretur, hoc ei vir impatere, vel propterea eam privilegio aliquo privatam esse, inferre non posset, l. Vini passim. ff. ad Legem Juliam,

de Adulter. ergo multò minus imputare ei debet, quando ipse injuriam infert.

Et quòd diximus de copula vi extorta, intelligendum est etiam de copula per metum injustè incullum obtenta. Sanchez 2. lo. cit. n. 12. & alii contra Fagnanum lo. cit. n. 45. Ratio est, quia omnes rationes & Jura contra vim allegata, à potiori etiam quadrant contra metum gravem injustè incullum, cum, ut consideranti patet, aliàs vir ex iniquitate reportaret commodum; & mulier absque propria culpa privaretur privilegio. Præterquam quòd etiam copula per injustum metum obtenta non representet unionem Christi cum Ecclesia, utpote perfectè voluntariam; ac insuper metus gravis injustè, & casus impedit consummationem matrimonii spiritualis: ergo & carnalis &c.

Cæterum rectè limitat Conclusionem Fagnanus lo. cit. nu. 33. & 34. in casu, quo uxor vim patiens de ingressu in Religionem nihil dicit, sed absolute tenuit consummare Matrimonium, vel aliam causam allegat. Ratio est; quia vir matrimonio into statim acquirit jus in corpus mulieris, v. l. l. Com. h. 7. solo excepto casu, quo uxor cogitatur, vel deliberat intrare Religionem; ergo si renitens, hanc causam non allegat, sed aliam, vel nullam, vir utitur jure suo, consequenter eidem injuriam non infert, sicut non infert, si post tempus à Jure ad deliberandum concessum, per vim extorquet copulam. Nec obstat, quòd uxor intra bimestre habeat vim excipiendi; quia regulariter loquendo, exceptio non prodest, nisi opponatur, Inst. de Except. per tot. & notat Bartolus in l. Eum qui. §. Qui ita. ff. de V. O.

Queritur II. An, & quando Conjuges intrare possint Religionem post matrimonium consummatum? Resp. I. Post consummatum matrimonium nullus Conjugum potest sine consensu alterius Religionem intrare, bene tamen cum consensu alterius, si requisita adimpleantur conditiones. Unanimis ac certa, claris Juribus. Et quidem prima pars, quòd sine consensu unius alter intrare nequeat, patet ex c. Quidam. 3. h. t. ubi vir invitâ uxore Religionem professus, jubetur ad uxorem redire, & declaratur Professio nulla, adeò, ut nec mortuâ uxore ad Religionem redire teneatur. Additur tamen, quòd mortuâ uxore aliam ducere non possit; neque petere debitum ab uxore vivente, quòd idem statuitur c. Placet. 12. eod. Ratio subjungitur cit. c. 3. h. t. illis verbis: Promisit enim se non exigere debitum, quòd in ejus potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit; non reddere autem non erat in ejus sed mulieris potestate. Quæ ratio aliis verbis etiam habetur cit. c. Placet. 12. eod. Inferitur proin Professioem Conjugis post consummatum matrimonium altero invito factam non carere omni effectu, cum saltem hoc efficiat, quòd talis inutiliter professus ab uxore non amplius petere debitum possit, licet ei id reddere teneatur; & mortuâ uxore alteri nubere non amplius valeat.

Secunda pars Conclusionis, videlicet, quòd cum consensu alterius unus Conjugum Religionem ingredi, & ibi profiteri valeat; clare patet ex c. 1. & pluribus aliis h. t. Additur autem dummodo requisite adimpleantur conditiones. Nam

Resp. II. Ad hoc, ut Conjugum post consummatum matrimonium Religionem ingredi, atque in ea validè, simul & licitè profiteri valeat, præter consensum alterius necessarium requiritur, ut etiam alter Conjugum Religionem ingrediatur, si adhuc est juvenis, vel senex quidem sed non absque periculo incontinentiæ. Fagnanus in c. Cum sis. 4. h. t. à nu. 7. continet. Fagnanus in c. Cum sis. 4. h. t. à nu. 7. & ibi Abbas num. 1. Ancharanus, Joan. Andreas, Pirhing h. t. nu. 6. Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 32. nu. 1. dicens Conclusionem esse certissimam, & Commu-